Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Mar

aut prgnantibus et nutrientibus earum in illis diebus / Orate ergo ut
non fiat fuga vestra in hieme / Erunt enim dies illi tribulationes tales quales
non fuerunt ab initio creaturae quam condidit deus usque nunc nec fient
Et nisi breviasset dominus dies non fuisset salva omnis caro · sed propter
electos quos elegit breviabit dies Tunc si quis vobis dixerit Ecce
hic est christus · aut ecce illic · ne credideritis · Exurgent enim pseudo
christi et pseudo prophete et dabunt signa et prodigia et poterunt
ad seducendos si fieri potest etiam electos · Vos ergo videte ecce
praedixi vobis omnia · Sed in illis diebus post tribulationem illam sol ob
scurabitur · et luna non dabit splendorem · Et erunt stellae caeli de
cidentes · et virtutes quae sunt in caelis movebuntur · Et tunc videbunt
filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria / Et tunc
mittet angelos suos et congregabit electos suos a quatuor ventis
a summis terrae usque ad summum caeli Ab ficu autem disciteis parabolam
Cum iam ramus eius tener fiet et nata fuerit folia · cognoscitis
quia in proximo est aestas · Sic vos cum videritis haec scietis · scitote quia in
proximo est in ostiis · Amen dico vobis · quia non transibit
hic generatio donec haec omnia fiant · Caelum et terra transibunt · Verba
autem mea non transibunt · De die autem illa vel hora nemo scit
nec angeli in caelo nec filius nisi pater · Videte et vigilate et orate
nescitis enim quando tempus sit · Sicut enim homo qui peregre profectus relinquit
domum suam et dedit suis suis potestatem cuique operis et ianitori
praecepit ut vigilet · Vigilate ergo nescitis enim quando dominus domus
veniat · sero · an media nocte · an gallicantu · an mane · ne
cum venerit repente invenerit vos dormientes · Quod autem vobis
dico · omnibus dico vigilate et cetera

XXVIIII

Erat autem pascha et azima · post biduum · Et quaerebant
summi sacerdotes et scribae quomodo iesum dolo tenerent
et occiderent · Dicebant autem Non in die festo ne forte tu
multus fieret populi · Et cum esset iesus in bethania in domo simonis
leprosi et recumbente · venit mulier habens alabastrum vasis
unguenti nardi spicati pistici · et confracto alabastro effudit super
caput eius / Erant autem quidam indignantes intra semetipsos
et dicentes / Ut quid perditio unguenti hoc facta est · Poterat
enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis